

ELEGIA CLASSICA

In

Occasum præmaturum,

Bone indolis ac spei adolescentis,

MARTINI HOFMANNI,

Prudentissimi, multisq; in rebus spectatissimi Viri

DN. MARTINI HOFMANNI, Reipub, hujus Servestane Senatoris optimi FILII;

Qui d. 14. Jul. circa h. 11. nocturnam, Anno 1623. hanc lucem est ingressus, & d. 30. Sept. Anno 1637. intra h. 9. & 10. antemeridianam hac luce egressus, in caeleste beatissimorum domicilium migravit;

Ætatis jam completis annis 14. mensibus 2. & diebus 16. à Primæ classis Discipulis

In sui, erga Commilitonem defunctum, amoris & doloris $\sigma\upsilon\mu\pi\alpha\iota\upsilon\alpha\upsilon$ conscripta.



SERVESTÆ,

Typis ANDREÆ BEZELII,

ANNOM. DC. XXXVII.



HONORARIUS TUMULUS

MARTINO HOFMANNO Juniori,
suo quondam discipulo ex-
structus.

Terrigenum quicumq; mea vis noscere vitæ
Principium ac finem, meq; meosq; patres,
Entibi! Me HOFMANNUS compar mihi vo-
ce Senator

Ev a suscepit de Genitrice satum,
Judicio promptaq; satis puer indole vixi,
Nec segnis Jovæ cultor, & artis amans.
Dumq; fui, feci dignos ætate profectus
In clarijs Linguis, Artibus inq; bonis.
Obsequio flexi Genitores atq; Magistros,
Queis charus natus discipulusq; fui.
Ast, ubi spem pulchram discendi fecerat ardor,
Me rapit ante diem pestis avara lues,
Ut quatuor denos binis cum mensibus annos
Exegi, atq; aliquot per mea fata dies.

M. Ernesto VVulstorpio, Serv. Anh.
Scholæ Patriæ Rectore.

ELEGIA CLASSICA

I.

Parodia Ode lib. I. Carminum Horatij quarta

IN OBITU M

MARTIN HOFMANNI junioris

per

ἀντίγραμμα :

MARS NON FIT HUMANUS:

S Ervestannus erat quidam locuples Senator, hor-
Mollem pararet qui sibi, refertum (tum
Floribus apricis, herbis teneris suāvibusq; :

Flores sed imprimis duos amabat

Nempe hyacinthum, amaranthū, qui quoq; cæte-
Ætate, splendore, ac odore dulci. (ris præibant

Unde illos disjungebat Dominus, novamq; terram
Dabat Priori, ut latius vireret,

Quâ flores etiam fudit nitidos, ut omnis ejus
Desideraret posceretq; odorem.

En quid contingit! Bellona suum suis ministris
Hostem legens, hunc Flosculumprehendit,

Hæret, regreditur, ferrugineum Deum salutat,
Orat, sibi ferrum velit parare.

Ille parans ferrum subtile statim, remittit ipsi.

Bellona confestim moram abdicabat.

Sanguinolenta volat ferro, graviterq; figit ejus
Pectus, brevi prostratus ut periret.
Pulsabat Domini mox limina fama, nunciando,
Suavisimum Florem suum perisse.
Tendebat rapido cursu Dominus, cruenta damna
Visurus, inceptâ viâ, Thalia
Culta obstat, dicendo, siste gradû, meumq; dogma
Solatij ducas loco suavis.
Flore tuo extincto, donum melius tibi parabo,
Depone luctus, & moveto plausus.
MARS NON HUMANUS FIT luctibus his tuis
Verùm mage atrox **FIT** furentiorq; (amaris,
Hæc ubi dicta dedit, se sustulit in locum priorem,
Sedemq; Musarum & chorum petebat.
Deposito luctu, vultum Dominus novum induebat,
Fere, ut relictus flosculus priora
Damna resarciret, finisq; doloris esset alti.
Sed vix olens infesta mors per hortum
Rumpit, proculcat Florem pedibus, periret omnis
Ut succus unâ cum suavi odore.
Lumine spectabat eum tristi Dominus, novo dolore
Auctus, suum mutabat hortum, & omnes
Flores sumebat secum, subito periret omnis
Ne Flosculus, deliberando secum.
Num quid agam; mihi Flos nunc omnis abest, odor
Me, me relinquet luctus omnis ingens. (reliquit
Con-

Conservet, foveat, summus reliquos mihi Jehova.
Qui cuncta solus protegit regitq;!
Quamvis instarem lacrymis, minimè referre posse
Illios, licet victu vel abstinerem.
Orat ver tenerum dulcis Philomela ne recedat,
At surdum abit, linquens coqui colore.
Nauta orat, pelagus mittat tumidum suum furorè,
Acerba sed spirat magis magisq;.

Joachimus Christianus Kniechen/
Servest à Anhalt.

I I.

Ecquis sat Genitor progeniem suam
Deplorare potest tempore tam malo?
Leto cum rapitur spe citius sua,
In mundo reliquus vix latet angulus
Ullus, sanguineis quem quatit suis
Non Bellona flagris enseq; bellico:
Quem funesta lues non graviter premit.
Ardent disidiis omnia cedeq;
Almam justitiam fraus violat mala,
Mauors sanguineus Pieridum domus
Vastat, proh facinus! Sed Deus exsulat.
Est & rara fides: Et penitus jacet
Frigescente solo verus amor satius.
Telluri interitum quis neget hac mala
Intentare, videt, qui furias eas?

A 3

Quare

Quare, Hofmanne, tuum pone, vir optime,
Luctum, progenies hæc tua sit tibi
Nunc erepta licet; Innumeris malis
Excessit soboles: hic superans Pater
Sentis innumeri congeriem mali.
Cælum triste videt, cum latet aureus
Sol: Sic ipsa Dei cor patrum licet
Nubes ob tenebret: Non tamen ipsius
Non obscura micat munificentia,
Atq; hoc sepe iuvat, perdere quod putas.

Andreas Lampertus, Seruestâ-
Anhaltinus.

III.

Quos corda amant medullitus mortalia:
Munus queis faciles non levidense damus:
Quos educamus maximis laboribus:
Anteunt reliquis, qui probitate satis,
Plerunq; nobis invidentur ab impijs,
Et nostro aspectu mors truculenta rapit.
Evênit Hoffmanno hoc viro spectabili,
Cui natum carum pestis acerba lues
Nuper tulit, quo nullus ipsi carior,
De quo spem firmam ceperat ipsa parens,
Fore, ut à camœnis caperet almis munera,
Nec non pulsaret regia tecta simul,

Cru-

Crudelia invidere Fata, mollia
Fila cruentifero dissecuere suæ
Vitæ ense: vulnus ad cicatricem ferè
Ductum, munificè refricuere Patri.
Esset Cataplasma unicum super nisi,
Huic quod leniret vulnera luctifica,
Chironium acciperet malum, medicarier
Et nullis posset tale malagmatibus.
Imponet ergò vulneri celerrimè,
Tristitiam hoc pellat lætitiàmq; ferat:
Pulset Camœnarum ac honorum culmina
Pulset cæsareas magnificasq; domos:
Vires novas & gaudium ingerat Patri,
Ut queat hoc placidè fessa senecta frui.
Omnis boni parator & dator Deus,
Pondera det votis pro bonitate suâ.

*Georgius Cramerus, Seruest à-
Anhaltinus.*

I V.

Defunctus Filius consolatur Pa-
rentem.

Clvas abijce, mi Parens,
Quid fles? Quæso, modum ponito lacrumis,
Fleat ad superos magis
Pectus. Quid varijs questibus attinet

FATA

Fata incessere? Stat sua
Nostrum cuiq; dies, singula sunt necis.
Feci curriculum, mihi
Christus quam dederat, vita peracta jam est.
Incusas obitum meum?
Accessisse potest non sine Numine
Christi, qui soboles Dei.
Ejus pro arbitrio singula stant, cadunt,
Qui, cum vult, recipit data.
Totus non abij, en, in cineres ego:
Nunc terra ossa tegit mea,
Sed caelum superum spiritus hic tenet.
Clax à luce fruor, mihi
Non est debilitas, non metuenda mors;
Hic est parva quies mihi;
Splendor perpetuus, gaudia, & hic amor.
Hic justis Supero canent
Laudes perpetuas, edere quas nequit
Verbis lingua suavis
Sancto latitiae perpetuae manent.
Fata incessere lacrumis
Quaeso, desinito, ne videaris hoc
Jovae forte resistere.
Sed nunc & lacruma sufficiant tuae.
Nam mors parcere nemini
Vult: Ast haec homines ipsa jubet mori.
Tu committe Deo omnia,
Qui sit vita, salus, spes tua maxima,
Sic te nunc praeco, Parens,
Natura propria solvoq; debita
Solvere jussa DEO meo.
Te nunc fata manent, qua comitem mihi

Te

*Te jungent, miseram ac brevem
Cum vitam hanc veniens mors mihi ruperit.*

Jacobus Quatius, Servestâ-
Anhaltinus.

V.
Hic Flos HOFMANNI vix cœpit trudere gem-
mas,

Et primùm vernans, jam cadit ante diem.

Hic Flos HOFMANNI primo sub flore juventæ

Fato insperato jam cadit ante diem.

Qui spes, qui solamen erat, qui gaudia magna

Et Patris & matris, jam cadit ante diem:

Qui Pietatis erat studiosus & artis amator,

Atq; comes gratus, jam cadit ante diem.

O horrenda dies! O execrabilis hora!

Hic quâ mox uno mortis agone perit.

Nunc meritò lugent omnes, lugentq; parentes,

Ob sobolem exutam lucis honore piam.

Sed quid tristamur? Mittamus flumina fletus,

Non reparabile erit, quod rapit atra dies.

Hoc spreto mundo, cœli migravit ad astra,

Huc, ubi perpetuo gaudia flore vigent.

Johannes Ernestus Biederman

Servestâ - Anhaltinus.

B

Mor

VI.

Mortalium omnes quàm fragiles, breves
 Hei res! Malis heu tempora singula
 Quàm nostra vita hujus referta!
 Quàm breve vita bonum caduca &.

Hora hei! nimis lux hei miserabilis,
 Quis tam juventa, tam cecidit decus!

Aquare planctu quis dolorem!

Unica quem facit hora sepe.

HOFMANNE, raptim quàm subitanea

Parca & nefanda tristia Numina

Vita tenella filarumpunt

Ante diem jaculis acutis!

Primo juventa te doleo tuæ

Sub flore functum funere flebili,

Cum Palladis, morum ingeniq;

Tam bona signa dabas sagacis.

Nostra in Palastra, mente, scholasticâ,

Cautâ imbibisti semina sedulus

Lingua, tuus queis altiora

Nixus adire animus laborat.

Fratres dolent te, te lacrumis tua

Deflent sorores continuo suis

Deplorat & te, sine demto,

Morte paterna domus peremptum.

Sicut sub umbra populæ suos

Fatus suavio mæret acredula

Nido levatos: Mæstamæret

Sic tua te assidue genitrix.

Vos, ô Parentes, parcite fletibus:

Est hisce terris nil revocabile,

Terris semel quod mortis acris

Abstulit horribilū sagitta.

De.

Deflenda multò mors magis horrida est
Occasus horum, quorum animos alit
Spes multa coelestis salutis
Colloquiūq; Dei sūavis.

Mortale, natum quod fuit, hoc fuit,
Sic sine demto quod fuit antea
Pulvis, fuit jam nunc in ipsam
Pulveris illuviem reversum.

Persæpe mixti cum pueris senes;
Conjux marito, paupere divites,
Docto bonarum literarum
Nescius in cineres recedunt.

Dilecta proles non obijt diem;
Vobis præiuit, nunc colit æthera
Mistâq; turmis angelorum
Nunc fruitur facie JEHOVÆ.

Vos rursus ipsam sidereâ in schola,
In clarâ ovantes luce videbitis
Nemoq; vos junctos supernâ
Latitiâ spoliabit unquam.

Arnoldus Warmundus Schröterus
Servedtâ-Anhalt.

Cyanea cantio.

Hosmanni in mortem composito carmine nuper,
Eheu! falce pari me quoq; Parca metit.
Ast nauci facio feralia spicula Parca,
Quæ carnem, haud mentem quit refecare meam.
Sed jam parta mihi stellantis regna subibit
Cæli, ubi luce Jovæ colloquiūq; fruam.

*Viribus exhaustis, quamquam sit prompta voluntas,
Velis collatis sidera celsa peto.*

Ejusdem

*Viventis quidem adhuc, at sentientis horam
mortis sibi instans.*

*Valete, Valete, fidelissime Praceptor & commilitones
optimi, moxq; me ad sideream, cum placuerit
Jehove, scholam sequimini.*

*Subjungantur, peto, versibus antehac à
me compositis.*

VII.

Siccine tu mala mors jam florem in vere sereno
Germen DEI manu tua sic defecas?
Te, cita Mors, florem carperè falce juvat?
Siccine nec gemitus matris charique parentis,
Nec carmen ullum cor tuum implacabile
Possunt, nec lacrumæ flectere, nevé preces?
Pectora singultu pulsantes ecce parentes!
Pectus tuum friget tamen clementiâ,
Sed nova pulsabis limina cottidie.
Cogitur Hoffmannus tua poela haurire cruenta,
Apollinis qui sacra flumina jam bibit;
VIRq; Patri fecit SPEM, patriæque suæ.
Clara latet tenebris obscuris condita virtus,
Pietas jacet jam victa, castitas bona,
Ablata est probitas ingeniique bonum.

Sævitix extremæ quis te non diceret, ô Mors!
 Crudelitate cuncta in orbe vincere?
 Horrendis manibus singula cruda rapis.
 Egregiam verò laudem & spolia ampla tulisti!
 Sed ne triumphas! te venit vir fortior,
 Ablatam prædam qui magis dignus agat?
 Jamque hic adest heros septus victoricibus armis,
 Qui diruit stimulum tuum & fastidium,
 Justitiæ splendor, dextera firma Patris.
 Qui secum Gnatum ducet vestrum ipse, Parentes?
 In celsa Cœli regna & ætheream scholam,
 Illum ut perpetua prosperitate beet.

Condolente animo facieb.

Johannes Petrus Thumbecius,
 Eschenbacensis Archipala-
 tinus.

IIX.

Quid furis in juvenes, de quorum patria nostra
 Artibus & sanctâ spem pietate fovet?
 Deberes potius, Mors dira, auferre cohortem
 Pravorum, atq; agros, decrepitosq; senes!
 Sed mirum! ecce tuis nos rectè occurrere telis
 Hac vi crudeli sævitiaq; doces.
 Jam capiet Classis nullum, puto, nostra sodalem;
 Ex armaturâ quin gerat arma DEI.
 Hoffmannus cecidit, sed factus is aulicus, aulâ
 Gaudet supremi, te mediante, DEI.

*Ergo favito, si sic fert diva voluntas,
Nec nobis clausa est aula beata DEI.*

Martinus Quelmaltzius,
Servestanus.

IX.

EPITAPHIUM.

Sub colle vernanti hoc recubat piè
Defunctus Hoffmanni eximii Viri
Gnatus, senectutis Patris optima
Spes, scipio firmus, columen, salus:
Cui Parca inexorabilis abscidit
Vitai, in annis, heu! juvenilibus
Non longa avaro pollice stamina.
Tu qui, Viator, marmore præteris
Constructa, & usu luminis aspicias,
Volve & revolve hæc, teque simul puta
Juri esse communi expositum necis.
His adde votum: Sit cineri levis
Tellus: Sub urnâ tempora transige
Pacis beatus: Sospes ave, vale,
Vive in supernis perpetuò locis.
Jungentur alto donec in æthere
Disjuncta, corpus, visque animæ entheæ,
Veram quietem, non perituraque
Quò sortiantur gaudia Olympico
Semper Theatro. Hinc ibimus, ibimus,

Qui-

Quicumque vitæ munere vescimur:
Mortem quid ergò horrescimus asperam?
O ter beatus, qui benè vixit hîc!
Optata cœli gaudia percipit.

Christianus Rauchius,
Cothenâ-Anhaltæ

X.

ECquis finis erit tandem, quæ meta doloris?
Perpetuis lacrymis, proh, modus equis erit?
BECMANNUM nuper deflevimus & cita fata
S P O R I; vix lacrymis ora reterfa suis:
En alia in promptu mala sunt, nova spicula pectus
Confodiunt, & vix quæ coïere, secant.
Dum dira abruptit medio jam florè vigentem
MARTINUM HOFMANNUM Morta
sodalitio.
O dolor! exoptem multos hunc vivere in annos,
Alloquio liceat quò mihi sæpè frui.
Sed frustratamen, (heu!) manet immutabile fati.
Condoleo versu, ac corde dolente meo.

Christophorus Janus Junior,
Ballenstedensis Anhaltæ.

In-

XI.

Ingens esse bonum invenire veros

Sodales statui subinde mecum.

Ingens esse malum carere amicis

Veris, experior meo dolore.

Inveni mihi dum duos amicos

HEINRICUM SPORLUM, suävem amicum,

HOFMANNUM, socium alterum suävem,

Quem nuper rapuit novissima hora;

Quanta prosperitas videre corda

Præparata, dari quibus quit omne

Secretum, intuitus ferebat omnem

Quorum tristitiam, gravesque curas!

Quanta materies datur doloris

Coactò, socio carere tali!

Quò miser fugiam? meum dolorem

Quò ponam? socium suäviozem

Amisi, mihi qui fuit levamen.

Ad Musas teneras meas revertor;

Hæ solamine me suo levabunt,

Et talem referent mihi sodalem.

Sed, HOFMANNE, tui memor manebo,

Dum venæ rosæ mihi micabunt.

Ernestus Stielerus, Servest.

Anhaltinus.

XII.

Sic me te tollit Lachesis cruenta,

Chare MARTINE, ante diem paratum,

Quæ

Qua nihil florens diu in orbe toto

Jam sinit esse?

Scilicet condiscipulos tuos nos

Vivido exemplo instituis, citæ æquum

Mortis in molles Juvenes senesq̄

Imperium esse.

Ipsæ cum blandâ fruereris aurâ,

Semina in ludo studiosus (eheu!)

Sanctæ linguarum didicisti, & almas

Impiger artes.

Verùm adhuc te nunc juvenem vigentem

Pallida & fallax Lachesis, necisq̄

Nomine haud digna, ante dies adurcâ

Falce peremit.

Quitamen propter solitum laborem

In scholâ impensum studiumq̄ dignus,

Sanè eras dignus superare longos

Nestoris annos.

Parcito quare, Genitor, querelis;

Parcito, Mater, nimio dolori;

Parcito angere, Soror, atq̄ fletûi

Parcite fratres.

Hoc quia est visum Domino supremo

Cui resistendum minimè jubenti,

Ut scholam HOFMANNUS superam JEHOVÆ

Ipse frequentet.

Filius vester variis periculis

Est & ereptus graviore sorte,

Jam DEI aspectu fruitur perenni

Colloquioq̄.

Vos eam ob causam, juvenes amandi,

Fidite haud multum viridi juventa,

C

Mors

*Mors adest horâ violenta, quâ non
Esse putatur.*

GERMANICA QUERELA.

Aleich wie ein edle Blum von Meißer gar geschwind
Abghawen wird: Also Martin Herr Hoffmans Kind
Hinweg genommen ist von Todt aus dieser Welt/
Doch das beweien ich nicht/ daß er jetzt ist gefelt:
Nur das beklage ich/ daß er in der Jugend/
Da er zunahm an fleiß/ Sitten vnd auch Tugend/
Hinweg geraffet ist/ aber ins Himmelsahl
Jetzt Triumphirende/ veracht den Jammerthal.
Darumb ihr Eltern fein/ beweint nicht seinen Todt/
Dann er schon kommen ist/ dadurch von vns zu Gott/
Dis sel seyn vnser Trost in allen Creuz vnd Pein/
Wir wollen bald / wils GOTT/ bey ewren Sohne seyn.

Summa declaranda συμπαραδείας ἐνεκα F.

Rudolphus Guntherus Kieseuvetterus,
Serevstâ. Anhaltinus.

XIII.

IMpius heu! toto nunc Mars & Mors furit orbe,
Cuncti arma pro tutissimâ
Relligione gerunt.
Incidimus dolor heu! in tempora pessima, pacis
Nomina, fides ac charitas
Exulat & premitur.
Candida si quis ait, nigra accipienda memento:
Qui spondet auream togam,
Mox ferus arma capit.

Mi-

Militat omnis homo, cum mundo, Dæmone, carne
Cumque propriâ quivis suâ
Tristia bella gerit.

Et tibi pugna gravis tenero sub flore juventæ,
HOFMANNE, commilito, fuit,
Mors fera namque probat.

Ah quid divitiæ vel pondera fulva metalli
Juvant? Quid eximium decus,
Docta que fama juvat?

Attamen omnes, in quocunque loco, vel in orbis
Nos parte vitam degimus,
Nil nisi terra sumus.

Hoc etiam HOFMANNUS testatur morte suapte,
Qui nunc Olympum splendidum
Perpetuumque tenet.

Gaudia nostra jacent, date tristia carmina Musæ;
Non nunc ego lacrymas meas
Continuisse queo.

Sed, cum post PLANCTUS PLAUSUS; post NU-
BILA reddat

JUBILA DEUS justissimus,
Mittite tristitiam.

Mittite vos gemitus & edentes pectora curas,
Atque lacrymas mœstissimas
Sollicitosque metus.

Interea in tumulto tranquillius ossa jacete,

Dum læta & ultima veniet
Judicis hora DEI.

Condolentis affectus contestandigratia apposuit

Melchior Theodorus Junior;
Serveſt. Anhalt.

XIV.

O MARTINE, tui nuper spes magna Parentis;
Nunc luctum ingentem, nunc lacrymasq; paris.
Heu cadis ante diem, HOFMANNE ô dulcissime, longum
Tali qui ingenio vivere dignus eras!
Dignus eras certè longam superare senectam,
Dulce decus patriæ, gloria, spesq; tua.
Vix etenim primo sub flore juvenia vigebat,
Sed rapit en vitam mors properata tuam.
Parcit enim nulli: Innuptas nuptasq; puellas,
Et pariter juvenes enecat, atq; senes.
Ergo malis vitæ te ereptum & cladibus hujus
Transtulit omnipotens in sua regna DEUS.

David Paul, Serv, Anhalt.

XV.

O Præceps hominum vigor! ô miserabile fatum!
Pestilicis tollens homines atroce veneno &
Miles agens prædas pœnam junguntur in unam,
Serveſta Urbs omnis luctu perculsa gemiscit:
Ipsaque pulsatur trivialis janua Ludi:
Doctrinæ heic studio præstans & acumine mentis
In viridi raperis, MARTINE HOFMANNE, juventâ,
Per mortem est fractum fraterni vinculum amoris.

In

In verno flore es refecatus, graminis instar,
 Quô spes major erat de te præclara Parenti;
 Ipsius hoc major luctus nunc pectora pulsat.
 Sed benè! Sidereas HOFMANNUS veetus ad arces,
 Jam colit ætherium cœli novus advena Ludum.

Matthæus Wolff / Serv. Anhalt.

XVI.

Dum dira pestilentia
 In urbe grassatur lues
 Hac patriâ nostrâ, nec
 Per multa perimens corpora
 Ubiq; crudelissimâ:
 Dum tu, Sodalium optime,
 Hofmane, formidans nihil,
 Curansq; vix pericula,
 Vocatione fungeris
 Subinde sedulus tuâ,
 Et te tenet contagio,
 Et ante mox tollit diem,
 Nec profuit vitæ tuæ
 Integritas, nec profuit
 Perspecta diligentia

In literis, in artibus
 Itemq; lectionibus,
 Itemq; vertendo stylo,
 Nec profuit tui ingeni
 Dos varioris enthea.
 Nec profuit parentibus
 Tuisq; præceptoribus
 Obedientia præstita,
 Sed Vos, parentes, mittite
 Gemitus, querelas, lacrymas!
 Vestri supernâ filii
 In arce vivit spiritus,
 O præeuntem singuli
 Fato sequamur prospero!

Johannes Georgius VVulstorpius,
 Servestanus Anhaltinus.

XVII.

Hinc inde sat desavire
 Mortis mala inclementia
 Non abstulit tantummodo,
 Multos viros doctissimos,

Venit quoq; ad nostram scholam
 Et falce curvâ sustulit
 Commilitonem sedulum,
 Cui nomen Hofmanno fuit,

Parebat iste perpetim
Patri & Magistro quoque suo,
Jehova, quia placet tibi,

Tecum, fac, ut vivat diu
Semper tibi que adhaereat!

*Johannes Christianus Hamelius,
Servestanus Anhaltinus.*

XIIX.

Agitatus in mundo ah quid est
Homo procellis plurimis?
Quid est homo miserimus?
Nil aliud, umbra ni fugax.
Simul ac homo mundum suis
Aspexit oculis, mors fera
Ipsam rapit crudeliter
Ætatis in flore optimo.
Hofmanne sic, de semine
Crete fragili, longam minus
Promiseras tibi diem,
Nisi obstetisset mors tuo

Conatui & vitæ tuæ
Fila abstulisset tenuia.
O fata nescia parcere!
Existimabam te mihi
Socium futurum optabilem,
Sed nutrii spem posthumam.
Lugemus igitur tristia
Funera diu voce, & tua
Conquerimur æquæ hæc funera,
Ab orbe demum te capit
Terra omnium mater, brevi
Nos te sequemur tempore.

*Gotofredus Enckius, Servesta-
nus Anhaltinus.*

XIX.

Martine, amicorum & sodalium optime,
Cum quo per annos diligenter tot mihi
Tractare jucundas dabatur literas;
An tu Parentes deseris suavissimos?
An Me, tuum commilitonem deseris?
Ætate florentissimâ nos deseris?
Jam quando de te certa cunctis spes erat
Frugis futura? Nempè sic visum fuit,

Qui

*Qui vite habenas pro suo nutu unicus
Mortisq; habenas qui unicus tenet, DEO.
Nunc factus es praelustrioris incola
Schola, DEUM, Angelos, Patres sanctissimos
Ubi Prophetas & pios omnes DEI
Alta canentes voce laudes audies,
In qua ipse laudes voce cantabis tui,
Cantabis opera cum piis civibus DEI.
O nobilem verè Scholam! ô pranobilem
Gratamq; permutationem! Gaudia
In quâ nec unquam desitura percipis.*

Godofredus von Jena, Servesta-Anh.

XX.

PUllsat iterum novus dolor
Sacrata ladi limina,
Dum sustulit funesta mors
Nuper sodales optimos
JAN-CHRISTIANUM scilicet
BECMANNUM, & HENRICUM quoq;
Cui SPORIO nomen fuit.
Contenta nec mors hoc pari,
Sed abstulit nunc tertium
Commilitonem sedulum
In functione muneris,
Cuj nomen HOFMANNO fuit,
Qui longiora secula
Ob diligentiam suam,
Obedientiam suam,

Arq;

Atque pietatem maximam,
Morumque ob elegantiam
Vixisse erat dignissimus.

Andreas Borsche / Servestanus Anhaltinus.

XXI.

Martinus Hofman, indolis
Bonae & spei adolescentulus,
Obiit diem nuper suum.

In ejus obitum cum mei

Commilitones carmina

Conscripserint funebria

Omnes, erat fas, ut & ego

Adjungerem pensum meum

Judicii ego at quia parvulus

Sum, corporisq; robore,

Præstat labellum pollice

Compscere, & voto intimo

Actum universum claudere.

Tuum, DEUS bone, Angelum

Tu mitte, classem hanc & scholam

Ejusq; cives qui potens

A peste, bellis & malo

Forte imminente protegat

Tutosq; semper asserat!

Fridericus Schause /

Serveft. Anhalt.

FINIS.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

VDA







B.I.G.

Farbkarte #13



117

LASSICA
 JOH. ONITRAM
 æmaturum,
 bei adolescentis,
 NI HOF-
 NI,
 isq. in rebus spectatis-
 Viri
 MANNI, Reipub, hu-
 oris optimi FILII;
 nocturnam, Anno 1623.
 pt. Anno 1637. intra h. 9. & 10.
 gressus, in caeleste beatissi-
 um migravit;
 4. mensibus 2. & diebus 16.
 is Discipulis
 m defunctum, amoris &
 av conscripta.

STÆ,
 E BEZELII,
 OC. XXXVII.

